

Specimen Disputatorium,
DE
**DONIS SPIRITVS S.
EXTRAORDINARIIS
PRIMITIVÆ ECCLESIAE,**

QVOD
JVSSV CONCILII ACADEMICI,
P R Æ S I D E

VIRO MAGNIFICO, SVMME REVERENDO
ATQVE EXCELLENTISSIMO,

**DN. BRANDANO HENRICO
GEBHARDI,**

S. THEOL. D. ET PROF. FACVLT. TH. h. t. DECAN.,
CONSIST. REG. ASSESS. AD D. JAC. PAST. ET VI-
CE-SUPERINT. GENERAL. ACAD. h. t.
RECTORE,

DIE XV. JUNII ANNO MDCCXIX.

PVBLICE EXHIBET

MICHAEL CHRISTIAN RUSMEYER,

Lüneburg.

S. THEOL. CAND.

GRTPHISWALDIÆ,
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typogr.

Coll. diss. A
170, 5

12.
A. EX. 1710

Sty. A. 170(5.)

Geometrie

DOCT. SPIRITVS
EX FRAGORIBUS
PRAETIVM SCIENTIA

IVS CONSTITVTIONVM
PRAELECTIO

DR. BRADMANI HENRICO
GEBR.



MICHAEL CHRISTIANUS

PRÆFATIO.

Concilio Academico ita jubente, ut specimen aliquod disputatorium ederem, placuit præ reliquis de Donis Spiritus S. Extraordinariis agere, tum quod anni festum tempus ad ea me perducebat, tum quod hæc materia pertractatione non indigna videbatur, quippe quæ nullius fere, quod quidem ego memini, laboribus præoccupata est, si exceperis ea, quæ a multis jam temporibus in hunc fere diem de prophetia donis & criteriis disputata sunt. Cum vero in hac mea peregrinatione, quæ nullum a me disputationis exercitium postulatura videbatur iis meis rebus destituar, quæ huic instituto inservire quodammodo possent, cumque præterea temporis quadam penuria premar, non est, quod solidi quid elaboratique satis polliceri queam, sed sufficiat necesse est, si vel primas saltim lineas ducam, & quasi in superficie ostendam, quæ ratione hæc materia, pro mea quidem ingenii exiguitate, cum aliquo usu elaborari possit.

§. I.

Dona illa singularia primitivæ Ecclesiæ, quæ vocamus extraordinaria, in S. Scriptura communi tantum vocabulo vocantur *χαρισματα* sive dona, 1. Cor. XII, 31. Theologi vero eadem vocant extraordinaria ratione subiecti, objecti, temporis, modique, ut distinguantur ab ordinariis, & sanctificantibus & ministrantibus. Quemadmodum vero hæc notissima sunt, ut explicatione opus non habeant; ita mittimus etiam omnes homonymiæ & synonymiæ ambages, ut statim ipsam rem explicare possimus. Sunt ergo Dona Extraordinaria Spiritus Sancti, Facultates seu Virtutes divina,

vinæ, per singularem & consveto largiorem effusionem Spiritus S. hominibus primitivæ Ecclesiæ in CHRISTVM credentibus, tam impiis, quam vel maxime piis, pro arbitrio ipsius ad plantandam & confirmandam Ecclesiam CHRISTI, concessæ.

§. II.

In hac nostra definitione vocamus Dona Extraordinaria *Facultates seu Virtutes divinas*, ut distinguamus a virtutibus moralibus, cum quibus ea confundere quosdam Scholasticos animadvertit *Celeb. GRAPPIUS de Donis Admin. S. Sanct. Sect. 1. §. 6.* Etsi enim Dona Extraordinaria cum sanctificantibus hoc commune habent, ut ab eodem Spiritu DEI proficiantur; item, ut negligi, amitti, excitari, augeri queant, &c. vid. *1. Tim. IV, 14. 2. Tim. 1, 6.* tamen in reliquis maximopere a se invicem differunt, tanquam singulariter divina a communiter divinis. Propterea effusionem Spiritus, quæ in Donis Extraordinariis locum habet, diximus *Singularem*, tum propter modum, tum propter ipsa dona plane singularia & in se & in subjectis, quibus non omnia omnibus & singulis sed huic illive pro mero arbitrio Spiritus S. communicabantur. Et modum quidem quod attinet, effusio hæc erat vel immediata, ut videre est in ipsis Apostolis, *Actor. 11.* vel mediata per Verbum & Sacramenta, vid. *Actor. X, 44. XIX, 5. 6.* & per impositionem manuum, *ibid. & Actor. VIII, 17. 1. Tim. IV, 14. 2. Tim. 1, 6.* Utcunque autem hæc effusio vel immediate, vel mediate se habebat, modus tamen plane singularis & extraordinarius erat, id quod adducta exempla probant. Dum vero hanc effusionem *consveto largiorem* vocamus, non eo hoc facimus animo, ac si Extraordinaria Dona in uberiore tantum

tantummodo effusione collocanda esse putemus; Sed habemus rationem illorum πνευματικῶν, quæ propius ad ordinaria accedunt, qualia sunt fides, sapientia, cognitio, &c. licet hoc loco ut extraordinaria a nobis considerentur, & extraordinario etiam utique modo collata sint. Ita enim distingui χαρίσματα posse arbitramur, ut alia longius abesse ab ordinariis, alia vero propius ad hæc accedere dicamus, ut utraque ab ordinariis sint distincta.

§. III.

De reliquis definitionis partibus infra erit uberior dicendi campus. Placet jam de varietate & numero Donorum Extraordinariorum pauca monere, ut deinceps singula describere & pro viribus delineare possimus. Novimus enim & Patres jam de divisione horum Donorum fuisse sollicitos, e quibus cum *Clar. GRAPHO* in medium producere liceat præter Justinum Martyrem, Originem, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum, Chrysostrum, &c. præsertim Gregorium Nyssenum, qui numerum Donorum ex *Jesaja XI, 2.* petit *l. c. §. 22.* Verum, ut venerandos Patres suo abundare sensu facile permittimus, ita neque Scholasticorum distinctionibus immoramur, neque recentiorum divisiones contemnimus, dummodo nobis liceat pro nostro concipiendi modo, licet forsitan non adeo accurate, ordinis tamen causa eadem dividere in Dona potentia, intellectus & voluntatis. Latius enim, quam pro more solito, Dona Extraordinaria meditari animus est, licet vestigiis Paulinis, quæ *1. Cor. XII,* expressa videmus, insistere certum nobis sit.

§. IV.

Inter Dona potentia eminent *Miracula*, quæ *1. Cor. XII, 10.* ἐνεργήματα δυνάμεων seu efficacia potentiarum

vocantur, adeoque nihil aliud sunt quam operationes potentissimæ, quæ humana vi, labore, industria & arte nullo modo effici possunt, sed a solius DEI potentia & Spiritu dependent. Istiusmodi operationes plurimæ leguntur in Sacro Codice & Veteris & Novi Testamenti, quibus, utpote notissimis, recensendis merito supersedemus. Dicuntur autem *Miracula*, & græce *τέρα*, ab effectu isto potentissimarum operationum, quia summam admirationem, stuporem & tremorem in hominum cordibus efficiunt. Dicuntur etiam signa sive *σημεία* tam a causa efficiente, quam à fine; Sunt enim signa existentiae ejus, qui tot prodigia edit, sunt quoque signa, quibus manducantur homines ad DEUM & creatorem suum. Cæterum notandum est, quod, etsi hæc *ἐνεργήματα* l. c. v. 6. DEO Patri in specie assignentur, nihilominus tamen v. 11. de Spiritu dicatur, quod ille unus idemque inter alia charismata, etiam Dona miraculorum cuilibet pro lubitu distribuat. Ita enim cum SS. Trinitate comparatum esse constat, ut licet quælibet divina Persona habeat, quæ sibi tribuat, nihilominus tamen opera, quæ dicuntur ab extra, inter ipsas sint communia.

§. V.

Mirum vero est, quare Apostolus ab hisce efficacissimis potentiarum, quas vocat, *charismata sanationum* distinguat l. c. v. 9. Quidni enim donationem visus, quæ accidit cæco isti cum cæcitate nato, *Job. IX.* quidni claudo isti, qui ab utero matris usque claudicabat, concessas pedum ambulationisque vires, *Actor. III.* vel potentissimis annumeremus operationibus? An forte Paulus noster Dona sanationum distincte intelligit ab istiusmodi potentiae efficacia, qua organa viresque status sanita-

sanitatis concessæ sunt iis, qui ab utero matris usque eisdem caruerunt? Vix crediderim. Vero videtur similis, Apostolum propterea distinxisse charismata sanationum à reliquis operationibus potentia, quod divisa hæc charismata inter fideles animadverterit. Et quis affirmare audeat, omnes potentiarum efficacias in uno semper fuisse subjecto, neque vero inter diversos pro beneplacito divino distributas? ab Apostolorum enim abundantia charismatum ad reliquorum Christianorum dona non valet consequentia.

§. VI.

In Donis Extraordinariis, quæ voco Intellectus, palmam fert *Prophetia l. c. v. 10. Cap. XIV, 1. 5.* Hæc fere præcipuum Donum Veteris fuit Testamenti, quatenus in illo CHRISTUS præfagiendus erat. Cum autem officium Prophetarum sit, non tantum futura prædicere, sed etiam arcanam DEI voluntatem hominibus explicare, & loqui ad ædificationem, exhortationem & consolationem fidelium, vid. *1. Cor. XIV, 3.* in Novo quoque Fœdere Prophetiæ maximus est usus, maxima præstantia. Neque vero hujus loci est, de Prophetis Veteris Testamenti loqui; agimus enim de Donis primitivæ Ecclesiæ, satis habentes, si Prophetarum Novi Testamenti operationes exponere valeamus. Verum enim vero tantus hic se aperit campus, ut ex angustiis hujus disputatiunculæ in amplissima spatia procurrere non audeamus. Qui in hac materia subsidium aliquod a Veteris Testamenti Prophetis expectat, conferre cum aliis potest Joh. Henr. Hottingerum in *Tbesauro Philologico Lib. II. Cap. 3. de Prophetis & Prophetiis.* Notatu vero dignum est, quod Aug. Marloratus in *N. T. Catbol. Expos. ad 1. Cor.*

ad 1. Cor. XII, 1, & de singulis & de hoc etiam Prophetiæ charismate dicit: *Ea vero subobscura sunt, & intellectu difficilia, quod hodie nostra Ecclesia & istis donis & eorum usibus careat.* Interim tamen novimus, quod Prophetæ Novi Testamenti futura prædixerint, non tantum in hac naturali vita evenientia, sicut de Agabo ex Actor. XI, & XXI. constat, sed etiam Ecclesiæ militantis & triumphantis fata, quippe quæ S. Johannis in Apocalypsi sunt revelata. Novimus, quod locuti sint ad ædificandos & consolandos fideles. Novimus etiam, quod per Spiritum S. locuti sint. Ast qua ratione agitati sint per Spiritum, quot & quibus præcipue modis prophetia evenerit, id vero est, quod Commentatores angit, adeo ut fere omnes cum Augustino Steucho apud Hottingerum l. c. exclament: *Quomodo autem fierent visiones Prophetarum, ipse novit, qui Dominus Prophetarum est.* Sed ut tandem aliquid dicamus, observandum est; quod Apostolus hoc loco non tam de prælagiendi & divinandi quam de docendi munere loquatur; id quod probamus partim ex ipsa prophetationis delineatione Cap. XIV, 3. 4. 24. 25. partim ex adhibita distinctione inter apocalypsin & prophetiam v. 6. maxime vero ex contemptu prophetiæ, quem Apostolus v. 20. seqq. scite redarguit: Si enim Prophetia tum temporis futurorum p. ædictionem involvisset, majorem sane præ se tulisset speciem, arrisissetque sensui carnali. Hinc sequitur, quod Prophetia in eo constiterit, quod Spiritus S. hominum corda collustraverit, & simul linguas eorum promptas volubilesque reddiderit ad proferenda magnalia & consilia DEI ad ædificationem, exhortationem, & consolationem audientium, & id quidem citra præmeditationem verbi
S. Scri-

S. Scripturæ & præterea sine omni coactione, adeo ut continere spiritum potuerint, donec opportunum tempus suppeteret, quemadmodum Apostolus v. 32. dicit, quod Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sint. Neque vero reliqua munera Prophetarum plane excludenda sunt. Quamvis enim Apostolus præcipue de munere docendi agat, admittit tamen varios docendi modos v. 6. & in eis primam ponit apocalypsin, quæ præcipue in revelatione futurorum consistit, & omnes modos prophetandi, quales sunt ecstasis, somnia, ænigmata, visiones angelorum & vel ipsius DEI, & JESU CHRISTI sub se complectitur. De hisce autem omnibus speciatim dicere jam non vacat. Opera tamen pretium fore putamus, si quis ingenii vires in examinandis prophetiæ donis & modis experiri velit. Quanta materiæ ubertas sit, vel ex unici Ravanelli Bibliotheca sacra intelligere licet, qui tamen tantum abest ab expandendis, & evolvendis Prophetiæ interioribus, ut potius in nudo versetur cortice. Sed antequam Prophetiæ charisma relinquimus, pauca adhuc monenda sunt, de ultima ejus specie, quæ est *Doctrina*, vid. 1. Cor. XIV, 6. Hæc non intelligenda hic est ordinaria, sed extraordinaria, sicut apocalypsis, cognitio & prophetia. Nulla vero in re a prophetia, supra descripta, differt, nisi quod illa citra præmeditationem verbi S. Scripturæ eveniat, hæc vero mediante verbo vel Scripturæ, vel Prophetiæ nunc demum prolata, quod exponendum sibi sumit, fiat, ita tamen ut ab extraordinario Spiritu Sr, impulsu & illuminatione dependeat. Licet autem Doctrina hac ratione extraordinarium donum fuerit, minime tamen ordinarium docendi modum à Prophetarum personis alienum fuisse contendimus.

B

§. VII. Pro-

§. VII.

Prophetiam excipit Donum *Discretionis Spirituum*, quod DEUS sapientissimo consilio primitivæ Ecclesiæ exhibuit. Satanas enim in miscendis zizaniis nunquam non occupatus, prophetiæ in primis segetes rubigine infernali infestare nullo tempore destitit. In tanto igitur Prophetarum numero, quantum primitiva Ecclesia habuit, magnus etiam numerus Pseudoprophetarum fuit, qui vel malo quodam genio agitati sunt, vel fictis agitationibus pravæ voluntatis alios decipere non erubuerunt, vel denique impuris phantasiæ & imaginationis motibus ipsi decepti, Spiritu DEI agitari se crediderunt. Unde maximum Ecclesiæ damnum enatum est, quod passim Sacræ Literæ testantur. Hæc ubi DEUS pro omniscientia sua prævidebat, peculiare hoc dijudicandi Spiritus Donum quibusdam Ecclesiæ membris concessit, quo supra omnes humanæ sapientiæ terminos collocati mero Spiritus Sancti lumine statim singulos discernere Spiritus, adeoque monere Ecclesiam possent. Hoc Donum discretionis Georg. Major ad hunc loc. Luthero tribuit, quia Anabaptistarum, revelationes jactantium, fucum statim animadvertit. Num vero hoc Beati Viri discretionis Donum extraordinarium an ordinarium fuerit, alii judicent.

§. VIII.

Venimus tandem ad Donum *Sermonis Sapientiæ*, quod Paulus primo loco ponit tanquam Donum Extraordinarium. Quemadmodum autem cavendum est, ne ordinarium nobis hic imaginemur donum; ita merito sapientiæ ordinariæ ideam mente concipimus, ut extraordinariæ ideam eo accuratius inde formare possimus.

Missis

Missis vero aliorum definitionibus & descriptionibus, dicimus, quod sapientia, ordinarie considerata, ea sit perfectio animi, qua quis vitam suam omniaque consilia ita & dirigere novit & re ipsa ita dirigit, ut via mediisque tutissimis finem, eumque denique ultimum, certissime obtineat. Posito jam, quod sapientia ita revera se habeat, sequitur quod sapientia extraordinaria in se eadem fuerit, & non nisi in hoc ab ordinaria differat, quod modo extraordinario per immediatam Spiritus S. effusionem sapientibus collata sit. Dum autem Apostolus non tantum sapientiam, sed etiam *sermonem sapientiae* dicit, ita hoc intelligendum arbitror, ut hac denominatione significetur facultas singularis explicandi & demonstrandi viam sapientiae. Unde sequitur, DEVM pro infinita sapientia domui suae sapientes ord nasse directores, qui vita & consiliis reliquis imbecillioris & iudicii & animi praerent, & hac ratione Apostolorum vice fungerentur. Eadem fere ratio est eorum, qui extraordinario dono *Sermonis cognitionis* erant praediti. Apostoli enim pro ratione muneris diu morari in uno coetu non poterant, sed satis habebant, si CHRISTUM praedicarant & fundamenta jecerant elementorum Christianae doctrinae, e. g. de poenitentia, fide in DEUM, baptismo, consuetum temporis maxime impositione manuum, resurrectione mortuorum, iudicio extremo, &c. *Hebr. VI, 1. 2.* Deinde vero recens nati Christiani crescebant in cognitione, ita ut perciperent latitudinem, longitudinem, profunditatem & altitudinem cognitionis JESU CHRISTI, *Ephes. III, 18.* Ut vero in hac cognitione crescere possent, opus erat dono extraordinario illuminationis quorundam membrorum Ecclesiae, qui alios erudire, neque tantum

B 2

erudire

erudire, sed etiam à pseudognosi defendere possent. Cognitione enim & multarum rerum notitia inflata hominum pectora turgent, adeoque inordinata sciendi cupiditate incensa facillime nubem pro Junone prensant, & mendacis spiritus deliria pro veritate amplectuntur; id quod omni tempore Ecclesiam CHRISTI turbavit, non solum fatali isto Gnosticorum seculo, sed etiam in hunc usque diem.

§. IX.

Post sermones sapientiæ & cognitionis enumeramus cum Paulo Apostolo Donum *Fidei*. De qua mone-
re vix opus est, quod non intelligatur fides salvificans, sed *Miraculosa*. At miraculorum supra jam facta est mentio; quomodo ergo fides, quæ ex parte hominum causa miraculorum efficiens est, hic iterum inter dona extraordinaria recensetur? Verum quidem est, fidem esse causam miraculorum; Sed fides hoc loco præsertim consideratur respectu fiduciæ in periculis; quod etiam Georgius Major ad h. l. observans: *πίστις hic, inquit, generale donum significat, fide faciendi miracula vel in propriis periculis vel alienis, &c.* Scilicet efficaciarum potentiarum, de quibus supra egimus, in efficiendis potentiis ad glorificationem DEI & hominum salutem occupatæ sunt, ubi nullum periculum imminet; fides vero fiduciam exserit in periculis vel amovendis, vel adæundis. Si licet novo quodam termino uti, possumus miracula potentiarum appellare *Positiva*, fidei vero *Privativa*, quatenus dæmones, homines potentes, animalia & elementa in minantibus vel imminantibus periculis, potentia, vi, robore atque animo privat, ut nocere vel nequeant, vel nolint. Fidei ergo tribuendum est, quicquid non nocet, ubi nocere poterat & debebat

debebat

debebat vel volebat, e. g. si venenati potus bibenti non nocent, *Marci XVI*, viperarum tactus inanes sunt, &c. &c. Fidei quoque opus est, in rebus Domini gloriam & proximi salutem concernentibus pericula non timere, sed fidenti animo eadem adire. Hæc fides Apostolos in ultimis & barbaras terras perduxit, martyrum animosas confessiones expressit, ardua quælibet fronte serena & mente confirmata adiit. Sed alia per fidem patrata miracula silentio jam prætereo.

§. X.

Accedimus nunc ad Donum illud maxime extraordinarium *Linguarum*, quod maximam quidem præ se fert speciem, ideoque vana jactantia conspurcatum est, dissensionibusque & æmulationi ansam dedit. Neque vero negari potest, fuisse hoc donum maximæ admirationis & stuporis. Momentaneo enim spiritus influxu novam & antea inauditam linguam, imo linguas, loqui, omnes excedit naturæ vires, & non potest non de præsentissima omnipotentia Supremi Numinis testimonium exhibere certissimum. Motus pentecostales hoc evidentissime comprobant. Verum tamen quoque est, quod hoc donum signum modo sit infidelibus, ideoque in ipsa Ecclesia, quatenus jam plantata est, non tanti sit usus, quantam quidem in oculis imprudentium habet speciem, vid. *1. Cor. XIV, 20. seqq.* Paulus igitur cum audiret, singulos fere hoc Donum æmulari, castigabat Corinthiorum ineptias, & ita nanciscebatur occasionem de Donis Corinthiacæ Ecclesiæ prolixè differendi, ostendendique, dona, quæ videantur minima, maximum sæpius habere usum, *Cap. XII, 22.* Conjungit autem cum hoc linguarum dono aliud huic proxime accedens, *linguarum interpretationem*. Hæc valde distinguenda est a nostra Her-

meneutica; supponit enim notitiam omnium linguarum a Spiritu DEI communicatarum, quæ a proprio Linguarum Dono non differt, nisi quod, quas alii proferre possunt linguas, interpretes tantum intelligant, & interpretari aliis possint. Quantum igitur interpretibus decedit respectu pronuntiationis sive locutionis, tantum iisdem accedit respectu interpretationis. Dona autem hæc Linguarum & interpretationis in quibusdam subjectis conjuncta fuisse, innuit Apostolus *Cap. XII, 5.*

§. XI.

Expositis jam omnibus, quot quidem *1. Cor. XII.* occurrunt, Donis Intellectus, sequuntur denique *Extraordinaria Dona Voluntatis.* Vereor autem, ne quis statim hæc dona rejiciat, & saltim in Extraordinariis nullum iis locum relinquat; ita enim jam usu receptum est, ut sanctificantia dona plane ab extraordinariis secernantur. Ego vero extraordinarium dico, quicquid modo extraordinario communicatur, sive illud sanctificantibus, sive ministrantibus donis accenseatur, sicut alias dona naturalia, non tantum intellectus, sed etiam voluntatis, *pro modo quantitatis,* vel ordinaria, vel extraordinaria vocari solent. Quod vero divina Voluntatis Dona attinet, non tantum modi quantitativi rationem habeo, sed etiam modi communicativi; quatenus per influxum extraordinarium Spiritus S. communicantur. Hic vero quaeritur: an istiusmodi effusio Spiritus S. extraordinaria respectu Donorum Voluntatis locum habeat? Quod licet nullo apodictico argumento contra obloquentes confirmare audeam, non video tamen, qua ratione negare quispiam possit. Paulus certe videtur amorem hoc modo commendare, *1. Cor. XIII.* & qui hoc non admittit, Donum ta-

num ta-

num tamen *Castitatis*, tanquam istiusmodi Donum Extraordinarium Voluntatis admittere debet. Sed quicquid horum sit, nolumus iis refragari, qui suffragari nobis nequeunt. Caterum notare liceat, quod, si quis Dona Extraordinaria voluntatis admittat, exemplum doni mixti, & intellectus & Voluntatis, dari in dono sermonis sapientiae. Diximus enim supra, quod sapientia non solum dirigere norit, sed etiam re vera dirigat vitam & consilia ad finem obtinendum, id quod voluntatis est. Sed hæc
ὡς ἐν παρόδῳ.

§. XII.

Divisis nunc & ordinatis omnibus ac singulis Donis Extraordinariis, opus est, ut etiam nonnulla de *affectionibus* eorum addamus. Harum igitur prima est, quod omnia hæc dona non sint transeuntia, sed immanentia; nisi enim hac affectione gauderent, non essent dona. Conveniant ergo hac in re cum omnibus aliis donis supernaturalibus. Etsi enim actus quidam transeuntes occurrunt, præsertim in Prophetia, manet tamen potentia actus similes producendi vel expectandi. Sicut vero dona sanctificantia negligi possunt & amitti; ita etiam hoc de Donis ministrantibus Extraordinariis negari nequit. Atque hinc oritur secunda affectio observatu digna, Negligi enim amitti, excitari & augeri possunt, sicut jam supra §. II. monuimus, idque adhortatione Pauli erga Timotheum probavimus. Paulus enim Timotheum suum *1. Tim. IV, 14.* hortatur, *ne neglexeris, inquit, quod in te donum est, datum tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii, & iterum 2. Tim. I, 6. Quare commonefacio te, ut exsuscites donum DEI, quod est in te per impositionem manuum mearum.* Atque hinc quoque factum est, ut

est, ut

est, ut Paulus hortatus sit Corinthios sectari, persequi & æmulari dona spiritualia *1. Cor. XII, 31. XIV, 14.* Affectio tertia est, quod hæc dona non tantum omnibus non fuerint communia, sed etiam inter ea subjecta, quibus donata sunt, pro arbitrio Spiritus S. fuerint distributa; quod facile apparet ex *Capite XII.* & ulteriori probatione non eget. Cæterum circa hanc affectionem quæstio moveri potest: qua ratione Spiritus S. hæc dona distribuerit, nummero arbitrio & decreto quodam absoluto fecerit, an vero dona ita distribuerit, prout cujuslibet naturæ maxime fuerint convenientia? Cum autem credam, omnes nostros Theologos unanimi consensu posterius esse affirmaturos, nolo prolixius in hanc quæstionem inquirere, sed idem illud cum ipsis asserere.

§ XIII.

Sequitur tandem affectio quarta & ultima, quæ altioris est indaginis, & in eo consistit, quod *tam impiis,* quam vel maxime piis, Dona Extraordinaria concessa sint. Sed quod impii etiam donis his ornati fuerint luce meridiana clarius apparet ex *Matth. VII, 22.* Spiritus enim quandoque totum quendam corripiebat cœtum, ut videre est *Actor. X.* ubi dicitur *v. 24.* quod *Cornelius Omnes suos cognatos & necessarios amicos convocaverit,* & de his omnibus, & singulis *v. 44.* quod *Spiritus Sanctus ceciderit super ipsos.* Quis vero crediderit, omnibus his pium & a mundo abstractum fuisse animum? Nimirum Deus manifestaturus Evangelii gratiam, omnes hosce potentia & gratia sua implebat, ut non solum ipsi, sed etiam omnes videntes & audientes de gratiosa voluntate DEI convincerentur, adeoque nullam animorum rationem habebat, licet primario pium illum Cornelium, ut &

conjun-

conjunctionem Ethnicorum cum Judæis respiceret. Neque vero insolitum est Spiritui DEI organis impiorum uti ad perficienda opera sua in piis & fidelibus. Exempla hoc demonstrant Bileami, Saulis, Jehu, Nebucadnezaris Cyri, Cajaphæ, Judæ, &c. Quid? quod idem ille Spiritus ne quidem indignetur, vel brutorum uti ministerio eaque pro arbitrio agitare. Præteribo nunc consulto odiosum asini istius prophetantis exemplum; adducam vero effatum Jesaianum de agitatione brutorum, quæ a Spiritu DEI agitari dicuntur, *Jes. LXIII, 14.* רוח יהוה תניחני. Quod si vero quem hoc effatum offendat, & cum Luthero dicere malit: *Welches der Odem des H. Ern treibet, &c.* ille cogitet, quid cum Philistæorum vaccis actum legatur, *1. Sam. VI, 12.* quo certe effatum divinum confirmatur. Cæterum hæc non ita capienda sunt, ac si impii citra omnem præparantis sanctificantisque gratiæ effectum a Spiritu DEI correpti & donis divinis ornati fuerint: Hoc enim si ita esset, omnes illi, qui verbum tunc temporis audiebant, Spiritum accepissent, id quod aliter evenisse Sacra Scriptura exemplis probat. Credendum igitur est, eos qui Spiritum acceperunt, verbo Evangelii & operum miraculis, divina adjuvante gratia, fidem in pectore concepisse: cumque impossibile sit, ut fides sit sola, i. e. ut bona opera ab ea abesse queant! quod *Magnificus Dn. Præses noster* suo & optimorum Theologorum nuper comprobavit calculo in *Vindiciis dicti Carpxoviani!* Sequitur necessario, eos ipsos qui Spiritum acceperunt, initio bonis motibus, charitate, spe & abnegatione sui per fidem istam incensam & ardentem caluisse. Quia vero radices non egerant sed ad tempus credebant *Luc. VIII, 13.* mundanis denuo voluptatibus immiscebantur, licet

C

DEVS

DEVS concessa semel dona non revocaret, dummodo ipsi eas non negligerent. Observandum igitur est, quod DEVS, etsi pro omniscientia sua futurum regressum noverit, nihilominus tamen Dona Extraordinaria concesserit. Unde tandem denuo concludimus, Dona Extraordinaria piis cum impiis fuisse communia. Neque tamen negari potest, dona voluntatis, de quibus §. XI. egimus, quoad hanc affectionem, differre a reliquis; Sed a potiori fit denominatio.

§. XIV.

Finem horum Donorum quod attinet, nullus erat alius, quam plantatio & confirmatio primitivæ Ecclesiæ. Ita enim comparati sunt homines, ut neque DEVM, neque quæ DEI sunt, recte intelligant; & propterea opus est signis, quibus ignotum sibi DEVM, quodammodo cognoscere possunt. Neque vero ignorantia tantum immeriti sunt, sed etiam patriis traditionibus ita adherent, ut sacrilegium & blasphemiam putent, quicquid iis adversari credant. Jam vero satis superque notum est, quam spissis tenebris totus terrarum orbis tempore CHRISTI obductus esset, quam alta superstitio in hominum pectoribus regnaret, & quantis præjudiciis Judæi præsertim detinerentur. Miraculis ergo opus erat, & quidem istiusmodi, quæ statim summo cum stupore in sensus incurrerent, ut hominum mentes, sensibus carnalibus captæ & consopitæ, vel ipsis sensibus monentibus evigilarent, originisque divinæ recordarentur. Huic igitur usui inserviebant præsertim miracula, dona linguarum & dona sanationum. Reliqua autem a nobis recensita dona potius in confirmationem Ecclesiæ data erant; quod tamen ita intelligendum, ne priora ab hoc usu excludantur.

sur.

tur. Qui plura de Miraculorum fine, usu, necessitate, certitudine, &c. legere cupit, conferre potest *Edward, Stillingfletum in Originibus Sacris.*

§. XV.

Circa hunc expositum finem solvendæ veniunt nonnullæ quæstiones, quæ jam ab aliquot hinc lustris magno animorum fervore motæ sunt & ventilatæ. Quæritur enim, num Dona illa extraordinaria Ecclesiæ primitivæ propria fuerint, an vero Ecclesiæ quoque successiva usque ad extremum diem iisdem gaudere debeat? quæritur, an & adhuc hodie dentur Dona extraordinaria, speciatim prophetia, visiones & miracula? quæritur denique, an Ecclesiæ CHRISTI extraordinariam ejusmodi effusionem Spiritus S. iterum expectare debeat? Quæ quidem quæstiones sibi invicem subordinatæ, ita tamen comparatæ sunt, ut quælibet speciali solutione indigeat.

§. XVI.

Nos ordine retrogrado procedentes quærimus primo: An Ecclesiæ CHRISTI extraordinariam ejusmodi effusionem Spiritus S. qualis primitivæ Ecclesiæ obligit, iterum in hisce ultimis diebus expectare debeat? Resp. 1. Hanc quæstionem absolute vel affirmare, vel negare, nimis temerarium videtur. DEVS in Veteri Testamento Ecclesiæ Christianæ Charismata Extraordinaria promisit, *Joël, II, 28. seq. Jes. XLIV, 3.* Promissis etiam stetit, & uberima effusione spiritum largitus est primitivæ Ecclesiæ; cessantibus vero paulatim istis donis, tempus nos docere debet, an Prophetarum vaticinia, quæ de Donis Extraordinariis protulerunt, de initiis Ecclesiæ militantis tantum, an etiam de fine ejusdem sint intelligenda. 2. Si vestigiis S. Scripturæ Novi Testamenti insistere volumus, animad-

vertemus, instare quidem tempus Pseudochristorum & Pseudoprophetarum, qui magna signa & prodigia facturi sit, adeo ut etiam electi in periculo seductionis versaturi forent, si quidem possibile esset, ut seducerentur, *Matth. XXIV, 24.* nusquam autem legimus, DEVM majoribus miraculis Spiritum mendacii confundere statuisse, quemadmodum alias tempore Mosis factum esse novimus; contra vero S. Scriptura evidentissime dicit, Dominum nostrum JESVM CHRISTVM perditurum esse filium istum iniquitatis *Spiritu oris sui, & aboliturum* manifestatione adventus sui, *2. Thess. II, 8. conf. Jes. XI, 4.* Sequitur ergo, DEVM prædicatione evangelii ad perditionem filii iniquitatis esse usurum, non autem charismatibus & miraculis. 3. DEVS quidem universæ Ecclesiæ Christianæ charismata Spiritus promisit; inde vero non sequitur, quod omnibus temporibus pari ratione eadem effundere voluerit. Quæ enim primitivæ Ecclesiæ propria videntur miracula, eadem ad universam Ecclesiam pertinent. Sed de his deinceps plura.

§. XVII.

Quærimus secundo: An & adhuc hodie dentur *Donna Extraordinaria*, speciatim *Prophetia, Visiones & Miracula*? *Resp. I.* Postquam charismata primitivæ Ecclesiæ paulatim desierunt, vix quicquam est, quod de iis gloriari possimus. De *Donis linguarum*, quæ nullis figmentis simulare potuerunt pie fraudulentis homines, nihil plane auditum est. Charismata sapientiæ & cognitionis multi sibi imaginati sunt, ubi tamen nihil aliud, quam vel donum extraordinarium naturale, vel ordinarium gratiæ apparuit. Miracula multa jactarunt Pontificii, sed fraudes ipsorum multis modis detectæ sunt & explosæ.

Prophe-

Prophetia propter multitudinem imaginariorum Prophetarum diu in proverbium abiit. Brevibus: Dona Extraordinaria, vere dona, hodie in Ecclesia non inveniuntur. 2. Non negamus passim in Historia Ecclesiastica quædam Prophetiæ, Visionum & Miraculorum vestigia occurrere, Fidem Eusebii, qui suo adhuc tempore *Quadratum & Ammiam* ex Philadelphiâ Prophetiæ dono excelluisse refert, non damnamus. Quæ subsequentibus temporibus, vel in densissimis Papiismi tenebris hic illic occurrunt, non omnia cæco impetu rejicimus. Quæ Scriptores Ecclesiarum Protestantium de Reformatione collegerunt vaticinia, non in dubium vocamus. Ipsum Lutherum nostrum quædam prædixisse admittimus. Admiramur duo illa miracula, quæ Hamburgensis ille civis *Jürgen Grese* perpetravit, iisque occasionem dedit *B. Kortbolto* scribendi duos istos de obfesso puero, & de ignito annulo, libellos. Neque vero credimus, Spiritum S. nullis plane extraordinariis motibus in cordibus fidelium præsentiam suam testari. 3. Positis autem his omnibus, & si quæ plura dantur, tamen non sequitur, & adhuc hodie in Ecclesia dari Dona Extraordinaria. Ab actu quodam extraordinario ad Donum Extraordinarium non valet consequentia. 4. Sequitur autem ex istiusmodi exemplis, sententiam illorum, qui arbitrantur, certum esse DEO, nulla amplius facere miracula, vanam esse & ineptam. 5. Notissimum hodie est, quantopere hætenus non solum sancta utriusque sexus plebecula, sed etiam prudentiores & doctissimi quoque Viri in donis prophetiæ falso creditis hallucinati sint; sed infra hac de re plura. 6. Recte ergo diximus, Dona Extraordinaria, vere dona, hodie in Ecclesia non inveniri.

§. XVIII.

Quærimus denique tertio : Num Dona Extraordinaria Primitivæ Ecclesiæ fuerint propria, an vero successiva quoque Ecclesia usque ad extremum diem iisdem gaudere debeat? Resp. 1. Non quærimus de re facti, sed de jure, an scilicet ex mente DEI, & secundum tenorem vaticiniorum Prophetiæ Veteris Testamenti, Ecclesia omni tempore Donis Extraordinariis gaudere debuerit, adeoque non nisi sua ipsius culpa eadem amiserit? 2. Ad hanc quæstionem respondemus negando, & id quidem (α) quia non potest demonstrari ex sacris literis, Extraordinaria Dona ita fuisse Ecclesiæ Christianæ promissa, ut omni tempore in ea se exserere debeant. Namque non eadem semper Ecclesiæ facies est *in externis*, sed variat pro DEI sapientia & rei necessitate. Quod satis apparet ex Ecclesiæ Veteris Testamenti œconomia. (β) Quia experientia refragatur. Incredibile enim est, DEVM fuisse passurum, ut Ecclesia his donis per duo fere millennia, & quidem continua serie, careret, si per Prophetas constituisset, eam iisdem semper ornare. Neque est, quod opponatur, Ecclesiam culpa sua hæc amisisse. Videmus enim ex Oeconomia antiqui fœderis, DEVM spississimis tenebris clarissimam semper affudisse lucem: quod exempla Prophetarum Eliæ Elisæque irrefragabile reddunt. (γ) Quia utique distinguendum est inter Ecclesiam plantandam & plantatam, quicquid etiam Extraordinariorum patroni obganniant. Luce meridiana clarius hoc elucescit ex dispensatione Ecclesiæ Judaicæ, in qua plantata in Palæstina Ecclesia nullus unquam surrexit Propheta, Mosis similis. Quamvis autem donum Prophetiæ in ea permanferit, rarius tamen idem illud fuit, quam nos quidem nobis

nobis imaginamur, qui acta tot seculorum brevi negotio oculis perlustrantes intervalla temporis non bene distinguimus. Præterea vero longe diversa ratio est Ecclesiæ, quæ maximam partem in externis versatur, & Ecclesiæ, quæ DEVM in Spiritu & Veritate adorat. (d) Quia Ecclesiæ Extrordinariorum Donorum amissione nihil decessit. Primum enim ea ipsa dona primitivæ ecclesiæ non ita ipsi sunt propria, ut non etiam toti subsequenti Ecclesiæ sint communia. Sicut enim Miracula Mosis toti Ecclesiæ Judaicæ erant communia; ita etiam primitiarum charismata toti Ecclesiæ Christianæ sunt communia, quippe quæ in hunc usque diem eam non solum ornant, sed etiam stabiliunt. Deinde vero summa animi attentione observandum est, promissa, quæ DEVS præsertim per Joëlem Ecclesiæ promisit, manere nihilominus intacta, licet Extraordinaria Dona non amplius appareant. Spiritus enim sapientiæ, cognitionis, fidei, prophetiæ, &c. non est e medio sublatus, licet non extraordinario, visibili & quasi palpabili modo effundatur. Et, si, quod verum est, fateri volumus, extraordinaria illa effusio, non tantum extraordinaria est ratione subjectorum, quibus effusio hæc singularis accidit, sed etiam ratione ipsius divini Spiritus, qui in propria sui manifestatione non nisi spiritualiter, hoc est, in placida, interna, sensibusque carnis incomprehensibili agitatione se manifestat, vid. *Job. III, 7. 8.* Unde est, quod CHRISTVS tantopere in miraculorum heluones invehatur, *Mattb. XVI, 4.* visionibusque & apparitionibus omnem vim deneget, *Luc. XVI, 31.* Qui extraordinariis ergo inhiat, ordinaria sanctificantia vix ac ne vix quidem expertus est. (e) Quia naturæ Extraordinariorum adversatur perpetua ipsorum duratio. Desinit enim

enim

enim esse extraordinarium, ordinarium quod fit. Maxima miracula conspicimus in iis, quæ non audiunt miracula, nimirum in cœli terræque creatione & conservatione, (quod etiam carnalis iste & purus putus sensualis *Spinoza* in *Tractatu Theologico-Politico* animadvertit.) Quare vero hæc miracula non æstimantur? quare Creator & Conservator ex iis non cognoscitur? nonne propterea, quia sunt universalia, ordinaria & continua? Miracula igitur & omnia miraculosa dona non possunt non esse extraordinaria, i. e. non perpetua, non omni tempore continua. Ni fallor idem hoc mecum observat celeberrimus Anglorum Episcopus *Eduardus Stillingfleetus* in *Originibus Sacris*, sed nescio quo præcipue loco.

§. XIX.

At, dicis, si finis Donorum Extraordinariorum est plantatio Ecclesiæ, quare igitur DEVS iis non utitur ad ulterius plantandam in Ethnicis Ecclesiam? Resp. 1. Quare DEVS hoc non faciat, nostrum non est anxie inquirere, sed præstat *ἰσχύειν*. Gravissimas eum habere causas certissimum est. Nonnulla dona ita comparata sunt, ut applicari inter gentes, saltim sine alia prævia præparatione, nequeant, in quibus præcipue donum linguarum numerandum est. Alia enim hujus doni ratio erat Hierosolymis, ubi linguæ omnium fere nationum congregatæ erant; alia vero futura esset in singulis gentibus, quarum quælibet sua propria utitur lingua, & aut alias non intelligit, aut non miratur, si quis noverit. Et nescio sane, an miracula aliquid efficere possent. Multæ enim gentes artibus magicis assuetæ sunt, adeoque virtutes divinas ob inveterata præjudicia vel non attendunt, vel patriis traditionibus falso creditorum Miraculorum in-

nixi

nixi non curant. Alias conjecturas, quas afferre possemus, merito silentii peplo involvimus. DEI enim justitia nullis scetet maculis, licet hominum stultitia innumeris modis eam sub examen revocare non erubescat, *Psalms. LI, 6. Resp. 2.* Posito vero, Miraculis ad convertendos ethnicos opus esse, culpa tamen negationis eorundem penes Christianos residere non potest. Non enim credibile est, tot gentium salutem penitus ab aliorum pietate vel impietate pendere.

§. XX.

Explicato igitur fine, & quæ circa finem ponderanda erant, finem nunc Disputationi imponere liceret, nisi adhuc quædam circa *differentiam specificam* monenda superessent. Differunt enim Dona Extraordinaria, ratione singularis & consueti largioris effusionis, a Donis non solum sanctificantibus, sed etiam *administrantibus ordinariis*, quorum jam supra mentionem injecimus. Nolumus autem aliorum laboribus & rixis nos immiscere, sed sufficiat monuisse, quo loco in hac materia de hisce Donis agendum foret. Notissima enim sunt, quæ hætenus a multis jam annis de Donis administrantibus inter Theologos Hallenses, Lipsienses & Giessenses ex una parte, ex altera vero Wittebergenses, Gedanenses & Rostochienses disputata sunt. Ut taceam alios, qui partim extra Theologorum ordinem constituti hujus certaminis se participes fecerunt, partim irenicos labores adhibuerunt, in quibus præcipue Celeb. Jenensium Theologus, Dn. D. Foertschius eminent. Cui igitur hæc non satis nota sunt, ipsa horum Theologorum scripta ubivis obvia, quippe quæ hætenus catervatim cum acerbissimis animorum contentionibus prodierunt, adire & consulere potest.

D

§. XXI.

§. XXI.

Differunt autem porro hæc Dona Extraordinaria, quatenus sunt *Dona Spiritus S.* tum a Donis Extraordinariis Naturalibus, tum etiam a Pseudo-charismatibus, quæ frustra pro Spiritus S. donis venditantur. Per *Dona Extraordinaria Naturalia* intelligimus Virtutes singulares & consveto majores vel corporis, vel animi, quæ Natura, moderante DEO Creatore, in non nullis subjectis passim producit. Nolumus esse prolixiores tum in definiendis hisce donis, tum in evolvendis definitionis partibus; tantum monere necesse est, nos dixisse, quod *natura hæc producat*, ut innuamus, DEUM non absolute in efformandis naturæ viribus agere, sed naturæ suas experiri vires permittere, quas ipse semel eidem concessit. Interim tamen DEUS cuncta dirigit, neque quicquam fit sine ipsius vel permissione, vel arbitrio, unde merito adjecimus: *moderante DEO Creatore*, vid. *Psal. CXXXIX. 13. seqq.* His præsuppositis, omnia naturæ dona, quæ vere singularia & consveto majora sunt, Extraordinariis annumeramus, hac tamen lege, ut non omne quod bonum, quodque eximium & præclarum dicitur, inter extraordinaria referenda concedamus.

§. XXII.

Per *Dona Extraordinaria corporis* intelligimus partim plane insolitum & maxime eximium robur virium, quo quis etiam equorum robur vel æquiparat, vel superat, uti exempla demonstrant; partim eximiam & insolitam velocitatem, cujus tamen exempla singularia nota mihi non sunt. Cæterum omnibus sensibus præcellentia maxima inesse potest, quam alias in diversis brutis Philosophi observare solent. Ne quid jam dicam de aliis hominis

minis

minis membris, præsertim faciei, quatenus pulchritudinis sedes est.

§. XXIII.

Dona Extraordinaria Naturalia *Animi*, sunt vel *Intellectus*, vel *Voluntatis*, vel *Memoria*. Voluntatis dona sunt, quicquid natura eximium & singulare in virtutibus moralibus philosophicis in certo quodam subjecto producit. Hinc videas in aliis admirabilem animi fortitudinem, quæ nullis periculis vel laboribus a bono proposito abducitur: in aliis summam animi constantiam, quæ nullis & secundis & adversis rebus vel minuitur, vel augetur: in aliis maximam patientiam, quæ nullis calamitatibus miserisque succumbit: in aliis sanctissimum castitatis studium: in aliis denique alia pro ingenii temperamentique diversitate. Cum autem temperamentorum ad naturalia virtutum dona proclivis dispositio, pro innata a recto tramite aberrandi cupiditate, semper in opposita vitia deflectat, virtutes naturales tot plerumque vitiis obrutæ sunt, ut extraordinaria ingenia non virtutibus, sed sed extraordinariis scateant.

§. XXIV.

Intellectus Dona Extraordinaria iterum variant, Pro- ut enim Intellectus vel purus est, vel una cum corpore operatur, utroque modo extraordinarius evadere potest. Quatenus ergo purus est, extraordinarium donum præsa- giendi a quibusdam ei tribuitur; quod tamen a divinandi dono, viris prudentia politica præstantibus attributo, pro- be distinguendum est. Extraordinarius etiam fieri potest in numerorum & virtutum contemplatione. Quatenus vero una cum corpore agit, multas artes & scientias pro- ducit. Quo modo extraordinaria dona prodit vel in ar- tium & scientiarum inventionem, vel in earundem excel-
 D 2
 lentiori

lentiori cultu & gradu eminentiore; unde fere numerus totidem Donorum Extraordinariorum exurgit, quot dantur artes & scientiæ: Quarum tamen cum non sit par ratio, præstantia, usus & æstimatio; mirum non est plurima Dona Extraordinaria cum subjectis suis vilescere, Quibus etiam *Dona Extraordinaria Memoria* annumerare possumus. Cum enim memoria, per se sola, innuda notitia subsistat, neque dotes suas recte collocare noverit, joco magis, quam admiratione eam suspicimus. Ubi vero vel ingenti, vel judicii singularibus viribus sublevatur, singulare quid & maxime admirandum præstare potest.

§. XXV.

Maxime autem in Donis Naturalibus caput exserunt, quæ *ingenium* & *imaginatio* producunt extraordinaria; dum contra, quæ *judicii* sunt, nisi vel Donis Extraordinariis fortunæ, vel honorum dignitatisque amplitudine, vel potentiæ majestate stipata incedant, vix attenduntur, imo vel interdum contemnuntur, observante id cum aliis etiam sapientissimo Salomone, *Eccles. IX, 15. 16.* Causa in promptu est: Plurimi enim homines in phantasiæ rerum naturalium deliriis oberrant, paucissimis judicii rationes præstantissimasque operationes, ob judicii defectum, capientibus. Palmam vero in ipsis ingenii donis semper & suo quasi jure vindicatam sibi voluit *ars Poëtica*, in qua jactanter laudatur, qui in aliis culpatur enthusiasmus, adeo ut cum uno fere omnes canant:

*Est DEUS in nobis, agitante calescimus illo;
Sedibus athereis spiritus ille venit.*

Quæ tamen ex privilegio isto poëtico, interpretanda esse arbitror:

Pi et o.

Pictoribus atque Poetis

Quidlibet audendi semper fuit aequae potestas.

§. XXVI.

Et hac quidem occasione neutiquam praeterire possum Miraculum illud Germanico-Poeticum, quod in aula Serenissima Megalopolitana-Strelicensi patriam Gryphiswaldiam ornat, DN. DANIELEM SCHÖNEMANNUM, hominem doctissimum, cujus abundantissima vena quoque advenientem liquido statim adspargere fluxu in mensa Magnifici Praesidis non dedignata est. Qui quidem cornu quoddam copiae omni genere florum Heliconis Germanici refertissimum sub pectore gerit, adeo, ut de qualibet materia ex tempore & sine ulla praemeditatione non elegantissime tantum & concinne, sed ita etiam copiose canere queat, ut, si quis calamo ejus effata exprimere valeret, vel totae plagulae chartaeae impleri possent. Quod vero admirationem hujus singularis Poetae auget, est plane dispar ratio, quae inter ipsum & inter alios Poetas intercedit. Cum enim alias nasci Poetae dicantur, non fieri; hic contra factus non natus est Poeta, utpote qui antea plane inidoneus ad excolendam Poesin existimatus ante tres demum annos hoc Dono Extraordinario insignitus fuit. Accedit, quod & in hunc usque diem poemata conscribere vix valeat, licet tanta in proferendo ubertas oris sit atque ingenii, quantam quidem audivimus. Hinc etiam fit, ut vero quodam enthusiasmo correptus, quem alias falso crepant Poetae, & dono quodam supernaturali donatus videatur. Horum vero nihil esse, sed omnia ab Extraordinario memoriae atque ingenii Dono pendere, norunt ii, quibus doctissimi hominis studia animique dotes accu-

D 3

ratus

ratius inspicere licuit. Neque est quod opponas, eum antea plane inidoneum visum fuisse; nimia enim exuberantia memoriæ atque ingenii hæctenus præpeditus fuerat, ut digerere omnia nesciret. Maturato vero cum annis iudicio, ingeniique viribus magis æquato, promanant jam, quæ hæctenus collegit & meditatus est, Juvaret sane aliquanto prolixius hac de re agere, sed brevitatis & festinatio prohibent.

§. XXVII.

Prius vero, quam Dona Naturæ Extraordinaria relinquimus, paucis adhuc de *Ingeniis Heroicis* agendum est. Namque observandum est, non omnia ingenia extraordinaria esse Heroica. Heroicum enim nihil dicendum est, nisi quod inter Extraordinaria eminet, & quoad ejus fieri potest, omnibus facultatibus & operationibus extraordinariis animi præditum est. Heros igitur, ratione voluntatis, fortitudine animi, constantia, patientia, diligentia, & sinceritate; ratione intellectus autem multo præ aliis & iudicio & ingenio polleat necesse est. Brevis: *Extraordinaria sapientia* (quam supra descripsimus) & *Extraordinaria fortitudo animi faciunt Heroem*. Longissime vero e numero heroum projiciendi, & stultis accensendi sunt, qui vel brutis conaminibus & cæco impetu magnitudinem animi præ se se ferunt, vel fraudulentis machinationibus & impudentia mendaciorum prudentiam singularem affectant. Sed nunc demum sufficiat, Dona Extraordinaria Naturalia summis delibasse labris. Reliqua Philosophorum industriæ commendamus.

§. XXVIII.

Superest ut de Pseudocharismatibus aliquid addamus.
Horum

Horum principia constituimus, vel depravatam hominis phantasiam, vel dæmonis cujusdam in homine operationem. Quoniam vero supra §. XVII. in solutione secundæ Quæstionis, mentem nostram de his donis jam explicavimus, nihil nunc addimus. Præterea vero Pseudo-Prophetiæ, quæ duobus seculis posterioribus multis quasi plaustris advectæ sunt, frequentes doctorum sententias elicuerunt, quæ nobis hic otium faciunt. Ut taceamus antiquiores istos Neo-Prophetas, quorum scripta diligentissime recensentur in posteriori Volumine Historiæ Hæretico-Ecclesiasticæ *Godofr. Arnoldi*, quæque hoc Seculo recocta sunt ab *Anton. Ræmelingio* & *Died. Dobblero*, licet diverso respectu: Notum est, quam strenua opera navata sit in examinandis Visionibus & Prophetiis virginis illius nobilis *de Asseburg* a Viris tunc temporis æstimatissimis, *Pfeiffero*, *Wincklero*, *Mayero*, aliisque multis conf. *Grapius l. c. Erotem. VIII.* Qui vero plura ejus temporis infauftæ prophetiæ exempla cumulata cupit, evolvere potest *Speneri* lecte *Theologische Bedencken/ Part. I. p. 115. Part. III. p. 435. & p. 802.* Multas quoque turbas civerunt Concionator ille aulicus Harzigerodensis *Philippus Paris*, Visione ista notissima, & præsertim tutor *Maximil. Dant*, in *der hellen Donner-Posaune*; quæ tamen eventu plane contrario satis superque refutata sunt. Ignota quoque nemini esse possunt, quæ cum ita dictis *Inspiratis*, qui *Cevennis* originem debent, in Anglia, Hollandia, Polonia, Germania, &c. acta sunt. De quibus singulares quasdam observationes addere possemus. Sed remittimus benevolum Lectorem ad viros doctissimos, qui ex instituto horum prophetias & actiones in-

ordi-

ordinatas examinarunt, in quibus præ cæteris Trium-
viri Borussici *Joach. Langius, Mich. Heineccius & Johan-*
nes Lysius eminent,

§. XXIX.

Postremo etiam nonnulla in medium afferre pos-
semus de Miraculis, quæ in ethnicis perpetrata credun-
tur, & de præcipuis Pseudo-thaumaturgis, *Simone Mago,*
& *Apollonio Thyaneo*, quorum fama profani homines
veris Spiritus Sancti miraculis detrahere conantur. O-
peræ vero pretium non esse facile assequitur, qui cha-
rismata primitivæ Ecclesiæ recte ponderat. Respon-
derunt autem istiusmodi empæctis in veteribus labo-
riosus ille *Origenes Lib. 2. contra Celsum*, & ex recen-
tioribus jam laudatus *Stillingsfleetus in Orig. Sacr. Lib. II,*
cap. 9. 10. In quorum placitis hac vice acquiescentes

Disputationi nostræ imponimus

Finem.

